



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

2. Divisiones Iuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

imperio superioris est posita. Si vero sumatur, ut est idem, quod justam, non quidem in ea generali acceptione, qua iustum idem est, quod legitimum, seu legi consonum (quo pacto formaliter acceptum, est objectum formale obedientiae; quia ideo expressè vult, vel facit aliquid, quia est lege præceptum vel statutum, materialiter autem sumptum est materia omnis virtutis, quia lex in omni materia virtutis aliquid statuit) sed prout iustum lunitur specialiter pro eo, quod est æquale & alteri debitum, ac formale objectum est iustitia particularis, recte dicitur à Justitia, ut vult Vlp. in d. 1.

4. Neo obstat Grammaticorum regula secundum quam Justitia potius à Justo, & Justum à Jure, tamquam simpliciori nomine, derivari videtur: quia denominatio objecti recte potest sumi ab habitu, seu potentia in illud tendente: Sic enim Scibile à Scientia; Scibile à Seofu; Visibile à Vito denominatur. Etiam si loquendo de ordine seu derivatione, quoad causallatem objecti, ipsa potentia vel habitus dici possit derivari ab objecto: sic enim Justitia à Jure, prout idem est quod iustum, denominari potest, quia ita sumptum est causa iustitiae, per modum objecti & causæ finalis: licet in genere causæ efficiatis sit effectus iustitiae, quia iustitia facit & constituit objectum suum, sicut & ceteræ virtutes morales.

5. Et hinc patet, etiam Jus, prout significat atem juris (ut usurpat Ulp. dum ait, Juri operam datum prius nosse oportere, unde nomen Juris descendat, illudque definit, esse artem boni & æqui, quia scilicet sit ars, tendens in bonum & æquum) dici posse à Justitia, mediante scilicet justo, à quo tanquam objecto suo derivatur: juxta illud. Quidquid est causa causæ, est etiam causati causa.

§ II.

Divisiones Iuris.

1. *Ius varie dividit*
 2. *Divisio iuris in ius ad rem, & ius in re.*
 3. *Quid sit ius ad rem* 4. *Quid ius in re.*
 5. *Divisio iuris in Naturale & Positivum, &c.*
- Q**uoniammodum ius, secundum varias suæ acceptio[n]es, varie derivatur, ita etiam varie dividitur. Et quidem, omissis aliis divisionibus, eas dumtaxat proponemus, quæ ad prop[ri]um nostrum magis spectant.

2. Jus igitur sumptum, prout idem est, quod potestas legitima, seu à lege concessa, ex parte termini quem respicit, dividitur in ius ad rem, & jus in re, quod plurimum pendet ex juris positivi dispositione. Hac divisione utitur Pontifices in *Clement. unica circa fin. de sequestr. possess.*

3. Jus ad rem dicitur, quod non tribuit actionem in rem ipsam, ad quam dicitur esse ius, sed in personam dumtaxat, quia scilicet est ius ad rem, quæ tali jure nondum est obligata seu affecta; & ideo potest esse circa rem nondum existentem. Tale ius est, quod competit alicui per electionem, presentationem ad aliquod beneficium, per collationem ante acceptationem, per successionem hereditatis ante acceptationem, per emptionem, donationem, stipulationem, vel alium similem contractum ante rei traditionem, quæ regulat et ultra legitimum titulum (qualis est emptio, donatio, vel alius similis contractus) ad dominium acquitendum requiritur. Dico, regulariter, quia subinde ex speciali legis dispositione non est necessaria: veluti in beneficijs Ecclesiasticis, in quibus per collationem & acceptationem subsecutum comparatur ius in re, cap. *Si tibi absenti de proben. in 6.* & in hereditate, aliquisque iuribus incorporalibus, quæ transiunt in aliquem jure hereditatio, sive per testamentum, sive ab intestato: nam in ijs acquiritur dominium & ius in re per solam additionem, verbo vel facto factam, §. ult. *In his de hered. qualis & differ. I. cum heredes 23. D. de acquirenda vel amitt. possit. Videatur Did. Covatt. lib. 2. Variat. Resolut. cap. 19.*

4. Jus in re, quod ius perfectum appellatur, dicitur, quod tribuit actionem realem, seu actionem in rem; habetque rem, sibi devincentam & obligatam: & ideo non potest esse circa rem non existentem. Tale est ius, quod qui habet per emptionem, aliquos similes contractus, subsecutæ rei traditione per dominum: item ad beneficium per collationem, secundæ acceptatione: per testamentum, aut successionem ab intestato, aditâ hereditate. Hinc constat, ius ad rem esse debilius, & facilius amitti, quam ius in re, ut observat *Glossa in Clement. unica de Clericis conjugatis.*

Jus vero sumptum pro lege, seu ut idem est, quod lex, dividi potest, sicut lex; atque ita in *Naturale*

Naturale & Positivum. Positivum rursus in Divinum & Humanum: Divinum in Vetus & Novum: Humanum in Jus Gentium, Jus Civile, & Jus Canonum. De singulis membris, quod quidem pro ratione instituti nostri sufficiat, descendum est aliquid.

§. III.

De jure Naturali.

1. Darijus Naturale probatur.
2. Definitio seu potius descriptio illius iurie.
3. Ius naturale esse immutabile.
4. 5. Per præscriptionem aut servitutem non immutari ius naturale.
6. Occurritur alius argumentus.

1. Ius naturale dari negavit Pythagoras, & non nulli alii Philosophi, volentes omne ius constare opinionem: contraria, dari eiusmodi ius, cum Platone. Cicer. Aristot. tener communis omnium Theologorum, Philosophorum, & Jurisconsultorum opinio, & colligitur satis ex l. 1. D. de just. & jure, & in st. de jure natur. gen. & civili. Cuius ratio est, qui cum homo multas habeat operationes liberas & proinde incertas atque indeterminatas, etiam regulam habeat necesse est, quæ eas dirigat, ut sint rectæ, & consentaneæ rectæ rationi ac fini ultimo. D. Paulus ad Rom. 2. Gentes, inquit, quæ legem non habent, scilicet, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.

2. Illud definitur ab Ulpiano d. 1. §. 3. & Justiniano in st. d. loco, quod natura omnia animalia docuit. Quibus vebis non tam intendunt aliquam definitionem. Ju: is naturalis tradere, quam signum aliquod in� quatum, quo dignosci queat. Nec enim voluerunt ius naturale esse hominibus cum brutis commune ut opinatur Valla, ideo dictam definitionem impugnans: sed quod in hominibus illud dicatur ius naturale, quod non solum ab hominibus, verum etiam à brutis usurpatur, ut est maris & feminæ conjunctio, liberorum procreatio & educatione, obligatio antidoralis, quæ est ut bene facienti beneficiamus; sic tamen, ut quatenus in brutis reperitur, non dicatur ius naturale, quia scilicet bruta sunt incapaci injuriæ, l. 1. §. ait Protor D. Si quadrupes paup. fecisse dic. ita & juris, quod à ratione, quæ bruta destituuntur, deducitur; sed quatenus ab hominibus, & quidem tunc solum, quando non ex sensus, sed rationis ductu, usurpatur. Quod addo, ne quis inferat

hinc, omnia, quæ hominibus cum brutis sunt communia, veluti edere, bibere, sicut, italici, & similis, esse juris naturalis. Dixerunt autem Ulp. & Justin. ius naturale non esse proprium gentium, humani, quia scilicet non ita illi convenit, quia in iuris quoque aliqua ejus adumbrata effigies repertioratur.

3. Hoc vero ius est immutabile ex se & a natura sua: totaque variatio eorum, quæ sunt juris naturalis, contingit non ex eo, quod ius ipsum naturale in se mutetur & varietur, sed quia advenit nova circumstantia ex parte objecti seu materiæ, quæ ipsum objectum seu materiam extrahit à numero eorum, quæ seclusa tali circumstantia erant de jure naturali. Nec enim ius naturale, aliquid præcipiens faciendum, aut fieri prohibens, referti debet ad objectum absolute consideratum, quia illud non sic præcipit aut prohibet, sed cum certis & debitis circumstantijs: ut v. g. non quælibet occisio hominis est jure naturali prohibita, sed quæ fit auctoritate privatâ, exira causa necessaria defensionis. Similiter, ex iure naturali reddendum sit depositum, unquam tamen ius naturalis fuit, ut enī depositus reddeatur furioso, aut non furioso quidem, sed in periculum recipiat, aut alterius, can. Ne quis xxiii.

que st. 2.

4. Hinc patet, quæ ratione præscriptio iure civili, & servitus iure gentium introductæ, non immutetur aut tollantur ius naturale, quo prohibetur tenet alienum in invito domino, & omnes liberi nasci bantur: quia præscriptio, ubi legitimè semel est completa, non facit, ut retineatur alienum, quamdiu maneat alienum; hoc enim esset contra ius naturalis: sed facit, ut qui præscriptis, retineat, suum, & id, cuius dominium per præscriptionem legitimè completam auctoritate legis acquisivit. Atque ita nihil refert, quod tum sciat, fusse alienum ante præscriptionem.

5. Eodem modo libertas (quæ non dicitur esse juris naturalis, quasi eam præcepit, & servitutem veterit, sed partim negativè, quia servitatem ius naturale non invexerit, partim positivè, quia unicuique ius naturale concessit, ut esset liber, ac dominus sue libertatis, hoc ipso quo illum fecit liberi arbitrij) tollitur per servitutem, absque mutatione iuris naturalis, ob novam circumstantiam advenientem, post hominis peccatum, ex parte objecti, nempe licitam

A 2